

- 41 Ex v. 60. Amicis in principio conjugii gratulari decet.
- 42 Ex v. 61. Exemplum magnanimitatis muliebris in molestia longi itineris toleranda.
- 43 Ex v. 63. Contracturus matrimonium Deum sedulo oret pro benedictione ipsius.
- 44 Ex v. 64. & 65. Exemplum virginalis pudoris.
- 45 Ex v. 66. Legatorum est, referre dominis quæ in expediendo negotio ipsis commisso evenerit.
- 46 Ex v. 67. Sponsam decet verecundè ac pudicè sponsam excipere.
- 47 Item, mariti est, uxorem amare.
- 48 Item, exemplum bonitatis Dei in exhilarandis piis post luctum.

ANALYSIS CAP. XXV.

ARGUMENTUM.

Continuatur hic primùm historia Abrahami; usq; ad v. 11. Deinde historia Ismaëlis, à v. 12. usq; ad v. 19. Postremò historia Isaaci, à v. 19. & deinceps: ad quam etiam pertinet versus 11.

PARS PRIMA.

Continuatio historiae Abrahami.

Pergens verò Abraham accepit uxorem, cujus nomen Ketura.

2 Quæ peperit ei Zimranem, & Jokschanem, & Medanem, & Midjanem; Jischbakum quoque, & Schuachum.

3 Jokschan autem genuit Schebam & Dedanem: filii verò Dedanis fuerunt Aschurim, & Letuschim, & Leümmim.

4 Filii autem Midjanis Hepha, & Hepher, & Chanoc, & Abidah, & Edaha: omnes hi fuerunt filii Keturæ.

5 Dede-